Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 17. Novembris.

M. PETRO MARAIS, Doctore Medico, Præside.

Sunt-ne recèns inventa prorsùs in medendo rejicienda?

RATIONALEM debere esse Medicinam, nemo est quin fateatur: si cui modò non occalluit ea pars animi, in quâ ratio esse dicitur. Neque adeò his temporibus istîc inter se congruunt Dogmatici. Alii veterum placitis emancipati, nisi quod ab ipsis profectum est, nihil rectum putant. Alii superstitiosè factum id opinantur & eam sibi laudem esse in animum inducunt maximam, quidquid ab ipsis statutum est, in pejorem partem accipere. Utrinque ea res, quantum quisque potest cogitare commodè, magno conatu agitur. Illis quidem si fidem habeas, illustres viros, per quos salutaris ista nobis professio increvit, nihil eorum, quæ ad artem pertinerent, fefellit; ex solis eorum scriptis veræ & ubique efficaces suggeruntur medendi indicationes genuinaque præsidia. Quæ porrò est, inquiunt, ista calliditas, res vetustate robustas calumniando velle pervertere? Quis livor stuporve vera Medicinæ principia negare, inventiunculas verò obtrudere, quæ, tametsi facie ingenii blandiuntur, excussæ nihilominùs risum habeant, aut certè ad Medicinam nihil afferant commoditatis? Hi verò contrà opponunt pleraque in Physicis, Anatomicis, Chymicisque inventa, quæ argumenta istæc magnificè magis, ut loquuntur, quàm verè excogitata convellant. Secundùm recentiorum hypotheses tenues quidem, sed evidentes, & à naturæ operibus proximè deductas, quæ nihil in rerum naturâ fingant, admittant solummodò ea, quæ aut reverà sint, aut quæ esse posse nemo negaverit, medendi methodum immutandam esse contendunt. Quid enimverò medicina, quàm naturæ imitatio? His in contentionibus, si vis non aberrare, cave ne in alterutram partem nimis sis vehemens, aut pietate in veteres nimiâ, (quanquam minùs istîc peccari potest) aut præpostero recentiorum amore. Minùs quoque audias eos, qui, dùm naturam putant incomprehensibilem, ex eorum, qui de ipsâ disputant, discordiâ, istiusmodi controversias, quòd è Physicis petitas, tanquam ad artem nequaquàm pertineant, imò sæpiùs medico incommodent, prorsùs respuunt. Ex hac re atque ex aliâ pariter in fraudem incides. Sine istos, quoniam ita propositum est, suo modo sapere; at certè arte mederi posse nusquam concesseris. Videat interim quisquis sine ambitione verum scrutatur, numne, si veteri Medicinæ accedant recèns inventorum adjumenta, possit ea existere mixtura, unde exurgat elegantior & singularis quædam Medicinæ species.

QUI medicinalem artem subtiliùs excoluerunt, cùm animadverterent, nullo artis subsidio, alios morbo licet gravissimo sponte liberari; alios verò, de quibus primò Medicus securus fuerat sub ipsâ curatione de medio tolli, præcipuam in hoc artem esse statuerunt, quæ observaret, quantùm providendis ægrotantium rebus Natura moliretur. Sic non vagam & temerariam Medicinam, sed Naturæ legibus firmatam esse existimes, cujus imitatione non utendi modò ratio, sed ipsa etiam præcipua remedia deinceps inventa sint. Nimirùm cùm intellexissent Medici maximè huic esse solemne in morbis, ubi sui juris est, humorem noxium ita versare, ita suis agitare modis, ut per alvi patentes & constitutos ductus, nullo recidivæ metu, coctum & attemperatum abigat, hinc profectum est, quòd pauca incipientibus morbis tentanda medicamentis esse voluerint; ægrotantibus cibos obtulerint eos, qui neque supervacuâ materiâ naturam plus satis impeditam onerarent, neque adeò debiles, ut ægrotum intereà fame perderent, sed qui melioris succi minimæque materiæ, humorem contumacem faciliùs tractandum ipsi committerent; hinc quòd minùs confidentes his dimidiatis crisibus, quibus natura, vel per sudores, vomitum, perirrhœam consuevit imperfectè morbos judicare, ipsam immisso cathartico, sicubi ea, quasi muneris oblita sui, cunctaretur, ad germanam purgationem revocaverint. Hinc quòd, si quis in illâ humorum coctione gravior casus incideret aut expectaretur, sanguinis partem effundi siverint, quanto id commodo fieri posset, naturâ monstrante crisibus variis, catameniorum hæmorrhoidúmque fluxu: postmodùm verò ex longinquâ noxiorum utiliumque observatione, ubi ex causâ morbi, affectæ partis naturâ, singulari humoris motu, conditione, diversâ ægrotantis corporis affectione, virium robore & imbecillitate, tùm varia remediorum genera, tùm ipsorum adhibendorum opportunitates captaverint, magnam semper Phlebotomiæ & Purgationis rationem habuerint, quæ & abs legitimè medentibus habenda. Horum videlicet præsidiorum eam vim esse quivis in arte exercitatus novit, ut in omnibus morbis ipsa non modò locum habeant, dum secutas præstant curationes; verùm & convenienti diætâ conjuncta apud febres continuas, ardentes, internarum partium inflammationes, aliasque id genus acutas affectiones, & chronicas plerasque sic opus omne absolvant, nihil ut tutiùs excogitari possit, & naturæ nutibus magis accommodum. His præceptis, aliisque ex eodem fonte depromptis stabilita ad nos usque fluxit Medicina, quam verosimile est tam celebrem, tam claram summorum virorum testimoniis nusquàm futuram fuisse, nisi omnis ætas illius veritatem & utilitatem esset experta, ut, qui illam novitiæ disciplinæ studiosi contemnunt, nihil ipsis optari pejus possit, quàm ut perversitate suâ fruantur. Quid ergo est? An indictâ causâ recentiores condemnandi? minimè sanè; sunt illis sua jura; & fastidiosi foret supercilii, quæ tam probabiliter ab iis disputantur, ne degustata quidem projicere.

QUANTO Medicina, quæ saluti humanæ præsidet, cæteras artes longè pluribus utilitatibus superat; tanto etiam magis, qui in morbis curandis voluerit minùs ambigere, (omnes autem velle debent,) accurabit, ut nihil omittat eorum, quibus artis præceptis possit aliqua firmitas accedere. In subsidium adeò nuperas hypotheses vocare minimè erit alienum. Hæ principiis evidentibus & experimentis innixæ, quæ sit illa Naturæ œconomia, quam benè curandi ducem Medicina sequitur, veluti oculis subjiciunt. Atenim Naturæ nomine cuncta licet providentis, interdùm tamen aberrantis, morbo tandem victæ, & superatæ, aliud nihil intelligendum esse videatur, quàm ea solidorum fluidorúmque coaptatio Divináque Mechanica, quæ corporis humani fabricationem inculpatam tueatur, molestiásque arceat, quoad ejus patiuntur & ipsa contextûs ratio, & varia, inter quæ collocatur, corpora: quorum quidem vitia gravioresque casus vidit, sed cohibere minimè voluit Is, qui operibus suis, quem maximè decebat, novit finem imponere. Scilicet quandiù fibrarum, quibus viscera constant, ea est firmitas, quæ, pro suâ cujusque conformatione pororúmque structurâ, quidquid sibi alienum est, vel respuat, vel contractione suâ abigat: quandiù sanguis eam habet intestinam principiorum concitationem, quæ, si quid peregrinum est, moliatur secernere, in eas partes post modùm circuitûs ope impellendum, quarum naturalis compages admittit; tunc, nullâ assidente intelligentiâ, qualis vulgò Natura fingitur, ipse suâ valetudine liberatur ægrotus. Artis ope indiget, si quid horum conturbatur. Ipsi adeò id muneris maximè esse videtur, ut promoveat eam in sanguine concitationem, & si quæ alia ipsi adversatur, contineat; sicubi quædam prohibent, vel corrumpunt circularem ejus motum, amoveat; fibris item viscerum consulat, ne noxiorum inani pondere obrui se patiantur. Hæc præstat si minùs in omnibus morbis, in plerisque saltem, in cæteris inchoat triplici suo illustri præsidio casta & germana Medicina. Phlebotomiæ quidem hæ sunt dotes, ut vel fracto humorum impetu; si quid viscerum fibras decumbenti humori impares frangere minabatur, à venis resorbeatur; vel detracto sanguine, qui superstes est, contractione arteriarum robustiori faciliùs circuletur; inde si quid in ipso spissius, dissolvitur; si quis itioni obex; propellitur; si quid minoribus in vasis hærebat, sanguini prætérlabenti datur diluendum, tandémque, ne plura addam, adjuvatur excrementitiarum partium secretio. Nec in hos usus minùs valet Purgatio. Catharticorum enim nomine quæ propriè circumferuntur, vasorum oscula, quæ plurima in ventriculo reperiuntur, tùm venas lacteas dùm subeunt sanguinique admiscentur, sic ipsum, aliósque, ad quos circuitûs auxilio perveniunt, succos commovent, ut quod crassum non potuit per tenues carnium, vel renum tubulos, aut alio quovis minùs perfecto modo vacuari, tandem hac fermentatione secretum, præ gravitate suâ meatibúsque faventibus in glandulis intestinorum percoletur; sic sordibus suis repurgatus sanguis laudabiles succos aut ad nutritionem, aut ad alias quasvis actiones perficiendas secernit: viscera nihil metuunt à pondere & qualitate humorum, & longa vitæ spes relinquitur. Jam verò Diæta ex cibis euchymis petita, sorbilis, sales & sulphura à quibus sanguinis & humorum dyscrasiæ, diluit, temperat, per cutis, spiracula renésque deducit, obstructiones adeò reserat, nimiam fermentationem prohibet, verbo dicam, præsidii utriusque actionem promovet adjuvátque. Quisquis hæc mente à præjudiciis liberâ perpenderit, & secum voluerit experiri quàm bellè sanæ artis Theorematis cum istâ philosophandi ratione conveniat, non inanem prorsùs esse Medicinæ recèns inventorum operam intelligat.

UT ut nupeta inventa non mediocriter Medicinam illustrant, qui istis plus satis moventur, nihilominùs sunt monendi, quàm hæc comparata pulcrè sint ad perniciem, si ultrà debitum admittantur. Fac enim, quod multis arridet, pleræque oriantur insignes acutæque ægritudines ab acido humore, qui dùm sanguinem ex parte cogit, naturalem, quo spiritus humoris partes exagitat, motum ipsius interturbet, vel succo nerveo, si quis modò est, admissus, spirituum animalium irradiationem cohibeat, vel vitiet; quisquam-ne tàm impunè de corio humano luserit, ut, relictâ epaphæresi, noxiorum humorum præparatione & purgantium medicamentorum administratione, una hunc sollicitudo occupet, quî possit acidum morbi causam jugulare; à Chymicis scilicet edoctum, acida suis, quæ vocant, alkalibus domari & intercipi? Qui ità segerit, medicinæ fores nedùm pulsasse videatur. Optandum sanè rem ità se habere posse; medico, nullâ exquisitiori methodo ægrotum ad sanitatem citò & commodè perducturo; quod absurdissimum & ratione simul & sensu ipso convellitur. Præsidiorum enim istorum efficacitatem quàm facilè mille res in corporibus valent conturbare! si quas attingunt partes, si quæ permeant vasa, magnam inde virtutis partem, ex succorum, quos singulæ partes sibi habent proprios, admixtione, minui necesse est. Neque verò, quoniam electione nullâ utuntur mortua medicamenta, illum, cui dicata sunt, hostem, valent internoscere. In vasculis quidem suis artifices sic norunt sales salibus, liquores liquoribus committere, ut quem quærunt, nullo intereà periculo, habeant exitum; istîc neque impunè peccatur, (sumit enim vires morbus, &, quæ stat in præcipiti, medendi occasio labitur;) neque eadem, quæ extrà contingunt, in morborum curationibus securè expectaveris. Veluti pleraque diversâ ratione, quàm aperto aëre, in factitio & Machinâ Pneumaticâ fieri animadvertis, quòd cujusque corporis vires maximè à corporum, quibus circumcingitur, viciniâ oriantur; sic pluribus reprehensionibus obnoxia quæ volueris ejusmodi in usus medicos afferre, videas, magno ægrotantium damno, non respondere. Hinc cùm sanguinem ex arteriâ animalis cujuspiam, in alterius venam indéque in totum corpus transfundi posse nemo negaverit, nisi cui ejusdem circuitus latuerit, rem tamen periculi plenissimam esse eventus probavit, ratio demonstrat. Excute alia, quæ usui venêre ambitiosæ novitati remedia ex suis hypothesibus; comperies ista, dùm compendio vacant, eodem minoris securitatis vitio laborare.

MINIME ergò sufficit, quempiam hypothesibus nuperisque inventis instructum ad artem medicam accedere. Planè istæc, scitu quànquam dignissima, & quæ artificis ingenium excitent, ignorare Medicum, meo quidem judicio, præstiterit, quàm nescire, ea quàm sint pestifera, & quàm nihil ad medicos usus efficacia, nisi si ad vulgarem medendi methodum exigantur, & acri mentis acie temperentur, quæ, quid ex iis boni, quid mali consequatur, prospiciat. Abiit autem ut gravissimo Medici nomine dignemur eos, qui præ cæteris multùm sapere arbitrantur, si à veteribus quà benè, quà malè dissentiant. His si quid omiserint, plurimam laudem nihilominùs habituris, venia tribuenda est. Sub Medicinæ incunabula, necessariis cùm abundè premerentur, nihil mirum, si, relictis iis, quæ diuturnioris temporis industriam postularent, ad ea se se converterint, quæ evidentes afferrent commoditates. Quæ porrò ars statim fuit? quid non usu nitescit? Plura fuerint posterioribus sæculis reperta, esto sanè: quasi, senescente mundo, ab hominibus, qui plura quotidiè experiuntur, major scientia non sit expectanda. Verùm quam à prioribus Medicis accepimus curandi rationem continuò si rejicias, vide ne dùm solemnem viam deseris per sentes & impedita itinera tibi sit ingrediendum. Errant videlicet, qui parum ipsos in Medicinâ vidisse calumniantur. Artem inconcussis certisque dogmatis constituerunt, quibus jam tùm stetit, in ulterius ævum duratura. Fatendum tamen quod res est; neque nihil quoque viderunt neoterici. Medicina, quæ absque naturæ indagatione debilis est & manca, quemadmodum sub primis sapientiæ professoribus adolevit, ità sanguinem virésque semper fecisse visa est, ut majori studio naturæ scientia agitari cœpit: hac verò plurimùm laude nostra ætas abundat. Ex eo fonte plurima haurire liceat Medico, quorum quidem operâ in persolvendis curationibus non mediocriter rectè facti conscientiâ sustentari se sentiat; quatenus is, eo nomine, quantùm in hac corporum varietate, morborum complexione rerúmque caligine humana permittit imbecillitas, & ægritudinum species certiùs dignoscere noverit; item, quæ in singulis morbis aut spe consolentur, aut metu terreant æstimare; &, ubi ad curationem ventum est, quæ causâ auxilii reperta sunt, tutiùs adhibere.

Ergo recèns inventa non sunt prorsùs in medendo rejicienda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Nicolaus Brunel de la Carliere.	*M. Michaël Pichonnat.*	*M. Philippus Mathon.*
M. Joannes-Baptista Doye.	*M. Franciscus Picoté de Bellestre.*	*M. Petrus Lombart.*
M. Urbanus Leaulté.	*M. Nicolaus Bailly.*	*M. Ludovicus Morin.*

Proponebat Lutetiæ PETRUS-JOHANNES BURETTE, Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1689.